



Beginning – p. 20

# Programm

der

# Klosterschule Roßleben,

einer Stiftung der **Familie von Witzleben.**

---


**Inhalt:**




**Halle,**

Druck der Waisenhaus-Buchdruckerei.

1865.



DE




# ODICE VICTORIANO

SCRIPSIT



**LFUS BOUTERWEK.**



Quamquam nemo est doctus quin sciat quam egregie de Lucretii carminibus emendandis Lachmannus meritus sit, tamen ut nos quidem sentimus, restat ut et si qui codices manu scripti nondum cogniti sunt, consulantur et primae huius poetae editiones, Brixiensis, Aldina, Bononiensis, Iuntina, accuratius ad illa carmina corrigenda adhibeantur. Qua in re hoc liceat adfirmare, mirum esse id quod cum de Marulli ingenio tum de Avantii Veronensis fraude Lachmannus exposuit in operis praefatione p. 12. Nam demonstrari potest, Avantium quidem plurima vitia retinuisse, quae Marullus qua erat arte et doctrina, felicissime emendaverat.

Aliter statuendum est de Petro Candido, qui plurimis in rebus aut Marulli emendationibus aut fonte, unde is sumpsit, usus esse videtur, qua de re v. Sauppium in indice Schol. Gottingensi a. 1864.

At et Marullum et Avantium permultis in rebus non quae augurarentur coniectura, sed quae libri manu scripti iis suppeditarent, secutos esse, perspicuum est ex eo quod, ut unum adferam, Avantius non solum innumera vitia quae tollere poterat, non extirpavit, sed etiam, codicum vestigiis insistens, eos versus retinuit qui non essent versus, velut I. 427 *si nullum foret haudquaquam corpora possent*, I. 690 *dicere porro sequi res rem omneis*, *sentire neque ullam.* II. 467 *est e levibus atque rotundis admixta volare.* IV. 289 B. *aciebus binis quoniam res confit utraque.* De quo sane versu Avantius in praefatione: idem multis pedibus abutitur, ut Anapaesto in prima sede ut *aciebus.* III. 729 *nec tamen est ut qui cum perfectis insinuentur.* IV. 442 *et flexa prope iam summo fluitare liquore.* ubi *flexa* est nom. plur. IV. 460 *et sonitus audire et severa silentia noctis.* IV. 852 *credier ex usu quae possunt vitaque reperta.*

De quibusdam autem versibus aliorum industriam se expectaturum ipse profitetur Avantius in editionis prooemio. Ac Marullus quidem, si quaecunque in Iuntina editione ingeniose emendata sunt, ipse inventor et princeps protulisset, tam egregia et praeclara indole fuisset ad criticam exercendam, ut facile grammaticorum teneret principatum. Iam antiquissima illa Brixiensis editio Lucretii, quae esse fertur anni 1473 neque a Lachmanno neque, ut videtur, adhibita, et nimis ignota est. Itaque primum est officium futuri horum carminum editoris, ut usque ad Lambinum omnes antiquas editiones diligenter cognoscat atque perspiciat; alterum, ut circum-

specto iudicio cognoscat num qui extent libri manu scripti, quorum auxilio curatio verbis passim corruptis poetae possit adhiberi. Namque ignota nunc quoque est ea recensio isque codex, quo Itali quos dicit Lachmannus usi sunt. In universum autem Lucretii codicibus sane non abundare bibliothecas quamquam probe sciebam (velut Parisiis unus tantum isque XV^mi saeculi adservatur codex), tamen non dubitabam quin ex Italia boni aliquid adferri posset quod prodesset ferretque fructus. Sed hanc quoque spem tantum non vanam esse me docuit vir doctissimus Guilelmus Studemund, qui et Laurentianum XXXV, 30, et Ambrosianum E 125 *parte superiore* (quem Andreae Sylvii fuisse constat), et Ambrosianum F 29 ad emendandum Lucretium non multum conferre litteris me certiorem fecit, cui officii in me collati, ut par est, gratias ago. Atque mihi quidem, quum locum nactus essem aliquid proferendi editionisque honore vulgandi, liceat finem facere eius quaestionis quam paucis abhinc annis in dissertatione de Lucretio composita institueram, *de Lucretii codice Monacensi sive Victoriano* (816 a) cuius usum Bernhardyo debebam. Cuius cum praeter ea quae illic p. 43—46. exposui nulla edita sit collatio, nisi in Goebelii progr. Iuvaviensi a. 1857 lib. II, 642. ad 1174, et nonnulla in Christii progr. Monach. 1855. eaque quae de codicis indole exposuit Sauppius l. l., non alienum videtur de eius codicis lectionibus disserere.

Quem codicem quum iam a Bergkio, cui eum monstraveram, iudicatum sit, veram lectionem multis in locis servasse, mihi liceat addere, non per se omnes codices spernendos esse, qui decimo quinto saeculo sint exarati. Etenim cur codicem vetustissimum et optimum eo saeculo descriptum esse negemus? Ille igitur codex saeculi XV, cuius paginae vicenos senos versus continebant integer est, nisi quod in sexto libro duo folia exciderunt quibus VI. 1090 — 1192 erant inscripti.

Fluxit sine dubio ex eodem quo Itali, fonte. Totus liber diligentissime correctus est ab homine docto quem Marullum ipsum fuisse censet Sauppius in Ind. Schol. Gotting. a. 1864. p. 10. Idem ille corrector nonnullos versus addidit de quibus pauca disputabimus.

Atque per se quidem illi versus non ea de causa contemnendi videntur, quod in illo codice ceteris inserti sunt: neque enim pauci vere Lucretiani postea additi sunt, de quibus infra.

Primum post I. 840 interpositus est hic versus:

*sic ignem inter se parvis coeuntibus nasci*,

sequitur 841:

*ignibus*, *exiguis humorem humoribus esse.*

Hunc versum iam Lambinus dicit reperiri in omnibus libris vulgatis, seque eum Lucretianum non habere. Sed ille in libris proximum versum sic reperibat: *ignibus ex ignis, humorem ex humoribus esse.*

Cum anastrophe praepositionis *ex* a Lucretii sermone minime abhorreat, non est cur plura desideremus, accepta lectione *ex ignis*, qua corrupta illum versum

intericiendum censuit corrector, quem Marullum non fuisse conicimus ex Lachmanni silentio: nam Petri Candidi editionem non in manibus esse dolemus. Itaque cum Lambino censemus hunc versum esse suppositicium; praesertim cum versum interpositum ne Avantius quidem noverit qui sic scribit: *ignem ex ignibus humorem ex humoribus esse.*

Post I. 1091 hic versus interpositus est:

*quippe etiam vesci e terra mortalia saecla*

quem, ut videtur, Lambinus ex libris manuscriptis in textum recepit; neque enim, ut fere mos eius fert in dubiis, de eo adnotavit, qui ab Avantio alienus est sicut is qui sequitur in Victoriano post 1092:

*terra det et supra circum tegere omnia coelum.*

Horum versuum prior, qui in Iuntina extat, huic loco minime convenit, cum plane interrumpat sententiae expositionem. Posterior Lambino et prioribus editoribus ignotus, qui ne spatium quidem vacuum in suis codicibus repperit,¦ compositus esse videtur ad explendam illam, de qua dicit Lachmannus ad 1093, lacunam. Nec vero hanc lacunam est cur dubiam censeamus; nam deest aliquid in expositione, quod supplere atque redintegrare interpolator conatus est, sed infeliciter. Hoc enim poeta sentit, non esse medium totius, ut putent Peripatetici, veteres Academici et Stoici, in quod omnia gravia ferantur, dum levia ad extremum surgant. Quod ni fiat, docebant, flammarum vi totum mundum deletum iri. Exusto autem mundo putabant mali nihil relinqui; cf. Plut. commun. not. 17. Cic. N. D. II. 46. Itaque, ut nunc res est, post 1091 interpunctionem maximam ponimus: nam hi quoque versus subditicii sunt et alieni ab argumento: quod vel verbum *frondescere* non Lucretianum declarat.

Alius versus, quem post II. 1138 codex V. addit:

*quod satis est et quantum opus est, natura novare*

Lambino minime suspectus originem aperte declarat. Nam per errorem is versus qui incipit ab *nec satis est* 1137 cum falso repetitus esset, scriba ex 1149 *quod satis est neque quantum opus est natura ministrat* eum supplere conatus est, aliquid excidisse ratus.

Supra II, 164 interpositum legimus in V. hunc versum:

*Nam neque consilio debent tardata morari.*

Hic versus et apud Avantium et Lambinum integer reperitur, ut eorum in codicibus videatur fuisse, sed deest in Brixiensi Veronensi Veneta editione. Atque de lacuna quidem quod Lachmannus statuit, ut fere, verum vidit: unde censeo Italum quendam hoc versu, quamvis perverse, sententiam refecisse; sed is non vidit verbum *tardandi* non esse Lucretianum.

Inter II, 425 et 426 infra additum est:

*at quę levis et est iucundo prędita sensu*
*hęc aliquo sine seminio graviore coorta est.*

Quibus de versibus haec addit Lambinus: „Post versum proximum in omnibus vulgatis libris (Aldinos et Vicetinos excipio) reperiuntur duo versus inepti et supervacanei. Itaque eos reieci, praesertim cum absint a manuscript. et in codice Ioviani Pontani deleti sint.“ Imitatio sane apparet ex versu 425 ipso; deinde iam in 422 sq. de corporibus iucundo sensu praeditis poeta disseruit. Compositi esse videntur hi versus ab aliquo viro docto, qui versum 425 dupliciter per errorem scriptum cum videret, novo versu ficto rem etiam magis perturbaverit.

Forbigerus p. 247 de iis nihil adnotat.

Post II. 528 recte lacunam constituit Bernaysius, quae expletur in V. hoc versu infra addito:

*Quod quoniam docui, nunc suaviloquis age paucis.*

Quem versum Lambinum quoque in codicibus invenisse et eius silentio apparet et teste Aldina eundem versum in contextu exhibente confirmatur. Hunc spurium esse duae res arguunt: primum semper Lucretius dicit *nunc age*, non separatis verbis atque in enunciati principio positis: deinde *suaviloquus* non est Lucretii, cui placuit effingere *suaviloquens*. Sed Bernaysium prudentissimo iudicio lacunam statuisse testimonio est insequens *versibus*. Versus autem 522 ad 528 ad primi libri argumentum pertinent ubi de atomis in universum poeta disserit. Hic post mentionem diversitatis figurarum atomorum locus erat de pondere eorum diverso et magnitudine disserere quae strictim in II, 84. 184 attigit, de quo v. Diog. Laert. X, 44 *φησὶ δ' ἐνδοτέρω μηδὲ ποιότητά τινα περὶ τὰς ἀτόμους εἶναι πλὴν σχήματος καὶ μεγέθους καὶ βάρους.* cf. Plut. Plac. I, 3, 29.

In III. libro v. 97 hic sequitur interiectus ceteris in Victoriano versus:

*Quamvis multa quidem sapientum turba putarunt.*

Hunc versum si ipse Marullus, quod censet Sauppius l. l. p. 10, conscripsisset, sane *putarint* exarasset. Hac una de causa fortasse ex antiquiore codice hunc versum, qui lacunam satis bene explet, fluxisse putandum est, quod confirmatur eo quod *putaret* Avantius edidit.

Aldina post III, 614 hunc quoque versum quem V. in margine praebet continet:

*gauderet, praelonga senex ut cornua cervus.*

Hic versus ab Italo quodam effictus est orationem mancam esse existimante; cuius fraus vel ipso adiectivo *praelongus* arguitur, quod a Lucretii sermone abhorret.

Iam eum v. qui post IV. 531 in V. extat:

*Rauca viis et iter laedit qua vox it in auras*

quemque Lachm. a Marullo adiectum esse censet, Lambinus se in manuscr. scribit non invenisse. Neque est dubium quin sit ortus ex v. 532 bis scripto per errorem.

Inter III, 820 et 822 apposita cruce immissi sunt hi duo versus:

*scilicet a vera longe ratione remotum*
*aut quia non veniunt omnino plena salutis.*

Quorum prior explet lacunam a Lachmanno post 823 constitutam, sed depromtus est ex VI, 853. Alter versus per insequentis similitudinem exciderat. Iam unum apparet, hic lacunam in antiquioribus codicibus fuisse.

Post III, 853 in margine additur:

*quos de materia nostra nova proferet aetas.*

Hunc quoque versum non esse genuinum apertum est pronomine *illis* in 853, quod verborum ambitum continuari videbatur postulare, et codicum silentio. Sumsit autem ille versifex verba ex v. 847:

*nec, si materiem nostram collegerit aetas.*

Neque aliter iudicare licet de versu illo interiecto in V, 30 sqq. quos sic legere iubet corrector nostri codicis:

*et Diomedis equi spirantes naribus ignem*
*Thracen Bistoniasque plagas atque hysmara propter*
*tantopere officerent nobis, uncisque timendae*
*unguibus Arcadiae volucres Stymphala colentes?*

Haec Bergkius, in Iahn. Annalibus Vol. LXXXIII. ipsius Lucretii esse iudicavit.

Atque sane verbum *officerent nobis* non addito displicet: nam supra etiam ad *obesset* v. 25 *nobis* adiectum est. *Nobis* autem cum sit in omnibus codicibus, non possum non statuere lacunam hic extitisse, quam ingeniose Italus ille corrector expleverit. Nam depravatum esse locum nec completam sententiam iam ex prima versuum collocatione apparet.

Contra quae post IV, 398 in textu V. continet:

*atparent et longe divulsi licet ingens*

v. 398 dupliciter scripto orta esse res ipsa docet.

V. 1011 sic tradunt Lachmanni codices, et ipse V.:

*et mulier coniuncta viro concessit in unum*
*cognita sunt, prolemque ex se videre paratam.*

Post *unum* V., et Lambinus quoque, addunt

*castaque privatae Veneris conubia laeta.*

Hic quoque versum excidisse arbitror; quid enim hoc sibi vult *in unum conubium concedere?* Nam cum fieri non possit ut in *duo* conubia una mulier cum uno concedat viro, nihil attinet numerum addere. Omnes autem codices exhibent *cognita sunt.* Sed vix animum induco *privatam Venerem* Lucretium dixisse.

*Nunc ratio reddenda, augmen cur nesciat aequor.*

Haec v. post VI, 607 a scribae manu, quamquam in rasura, tamen in textu, addita sunt. Hunc Marullianum, ut solet, Lachmannus esse censet: Lambinus nihil annotans eundem v. exhibet. Mirum est eum non, ut alios, additum esse in margine, sed extare inter ipsa poetae verba; res ita se habet, ut hic exciderit capitulum *quare mare maius non fiat,*

quod suo more doctissimus ille interpolator supplere voluit versu. Sed ab ipsa Marulli manu huius codicis emendationes profectas esse non crediderim, non ignorus, cum Lucretii librum sortis socium habuisse cum mense Aprili a. MD. in Cecina fluvio prope Volaterras equo collapso periret. (Cf. Havercampi praefat. p. 1.) Contra autem eum pluribus exemplaribus easdem emendationes inseruisse non veri est simile, praesertim reputanti quanti tum steterint libri et manu scripti et impressi.

His versibus collatis apparet, Lucretii codicem Victorianum a quodam lectore interpolatum esse, qui multos locos, qui in contextu deerant, ex codice manuscripto compleverit, alios ex suo ingenio restituerit; quod vel eo efficitur, quod in IV, 1029 addidit in margine: *hic ut puto aliquid deest.* Hunc Marullum non fuisse probatur emendationum diversitate. Conf. exempla a Christio allata l. l. p. 9, de quibus Sauppius l. l. p. 6. Sic etiam

II, 210 Victor. *sumo* exhibet, Marull. *aetherio.* Vide quae adnotavimus ad I, 14. 15. I, 153. 1078. III, 44. 45. 46. III, 820. III, 853. IV, 25. IV, 129. 150. V, 247. 901.

Sic et I, 247. *quantum inest* Victorianus, *in se est* Marullus.

III, 887. Giuntina praebet *iacentem se lacerari.* Corrector Victor. scripsit *nec lacerari.*

Discrepat étiam a correctore Victoriani Marulli lectio III, 1282 *secum degerere*, et V, 393. 586. *flamae.*

Quo accuratius de indole huius codicis iudicium ferri possit, ex *primo libro* eos locos congessi, quibus Leydenses quidem negligentia scriptoris peccant, Victorianus autem verum exhibet. Leydensium lectiones in uncis ascripsimus: I. 16 *pergis (tergis)* — 24 *ornatum (oralatum)* — 33 *regit (regium)* — *qui (que)* — 35 *tereti (teriti)* — 43 *de esse (id esse)* — 74 *omne (omnem)* — 102 *quovis (quodvis)* — 104 *possunt (possum)* — 126 *cepisse et (coepisset)* — 168 *certa (derta)* — 176 *quia (qui)* — 177 *creatur (orcatu)* — 217 *e cunctis (cunctis)* — 240 *nexu (nexus)* — 264 *adiuta (adluta)* — 286 *turbidus (turbibus)* — 349 *flent (fient)* — 352 *radicibus (radicimus)* — 357 *fieri ratione videres (ulla valerent ratione videres)* — 372 *aiunt (alunt)* — 411 *plano (ptano)* — 412 *magnis (magnes)* — 414 *verear (urear)* — 442 *possint (possunt)* — 449 *cluent (civent)* — 455 *divitiaeque (diviaeque)* — 458 *eventa (evento)* — 473 *formae (forma)* — 480 *cluere (luere)* — 489 *fulmen (flumen)* — 500 *constent (constet)* — 520 *vacaret (vocaret)* — 533 *findi (fundi)* — 600 *ullius (illius)* — 606 *explent (explet)* — 680 *discedere (descendere)* — 694 *labefactat (laebefactat)* — 708 *putarunt (putantur)* — 721 *Italiae (Haeliae)* — 725 *flammai (flammae)* — 739 *profatur (prosatur)* — 741 *casu (causa)* — 777 *manere (manare)* — 1033 *summissaque (summaque)* —.

Iam ex eodem libro primo addam vitia quae Victorianus continet a Lachmannianis libris aliena: 34 *refecit* — 37 *resupinus* — 38 *turbantem* — 66 *gnarus* —

124 *exortum* — 131 *constat* — 203 *certis est* — 204 *qua* — 241 *tractus* — 244 *intus* — 247 *lectura* — 249 *corpore* — 376 *sunt* — 401 *contradere* — 406 *institerunt* — 451 *nusquam* — 486 *stringere* — 495 *trementes* — 516 *nec* — 530 *queant* — 567 *fiant* — 695 *qui* — 737 *debere* — 770 *chohere* — 781 *prope* —, 827 *que uno* — 950 *compacta* — 953 *summa audi quenam* —.

Iam ut quaestionem de hoc codice institutam expediamus et conficiamus, necesse est ea adferre atque componere quae a prima manu sua nec cum Lachm. codd. congruentia prae se ferat. Sunt autem hae lectiones, additis, si qua cum Victoriano facit Aldina. 16 *ita quodque lepore* — 32 *bellifera* — 50 *mihi memmius et te* — sic *A.* — 68 *nec* — 82 *olim* — 84 *triviai ad* — 90 *celerare*, sic A. — 122 *perveniant (permanent)* — 141 *perferre* — 149 *cuius hinc*, quod significat legendum esse *hinc cuius*. Sic Marullus. — 150 *queque* — *educit Venus et deductum* — 252 *segetes* — 271 *pontum* — 280 *ministrant* — 298 *quin porro* — 309 *distenditur*, in margine *dispargitur* — 412 *de fontibus* — 425 *animos quaque*, sic A. — 432 *rerum natura* — 449 *adiuncta* — 450 *inventa* — 453 *saxi*, sic A. — 465 *ut dicunt*, sic Ald. — 467 *fuere*, sic Ald. — 487 *videtur fors ita quicquam*, sic A. — 492 *quin labefactatus* — 542 *de nilo quesita forent; de nihilo quaesita* A. — 560 *id numquam reliquo; id rel. numq.* A. — 588 *quando omnia constant* — 593 *revincta* — 598 *naturam motus victum moresque parentum*, sic Ald. — 624 *animi victus* — 646 *ex vero*, sic Marullus et A. — 649 *suus ignis* — 658 *fugiunt;* — *fugiant* A. — 665 *ulla*, sic Mar. et A. — 676 *virescat*, sic A. — 681 *discedere* — 682 *si tantum* — 697 *nihilo quae*, sic A. — 703 *summam* (in Leydd. est lacuna), *summam* Ald. et *Itali* scripserunt — 711 *longeque errasse*, sic Marullus et A. — 719 *littus*, sic cod. Vatic., Memmianus Lambini et A. — 724 *ut vis evomat ignis*, sic A. — 748 *minimum esse videtur*, sic A. — (*quicquam* Marullus) — 752 *consistere rebus*, sic Marullus et A. — 758 *habebis*, sic A. — 771 *licorum*, quod suos quoque exhibere codices Lambinus testatur. — 788 *de coelo*, sic Lambinus — 789 *pacto*, sic A. — 833 *nobis* — 843 *nec tamen esse ulla parte idem in rebus inane*. Sic et Lambinus et Ald. — 853 *sanguis anne os*, cuius lectionis mentionem facit Lambinus. — 875 *tenuis latitandi copia quaedam* — 900 *donec fulserunt flammae fulgore cohorto*, idem Lambinus dicit esse in codd. Bertiniano et Vaticano (*fluxerunt fl. fulg. co.* Ald.) — 912 *ex lignis*, Lamb. *e lignis* — 1041 *adversa viai*, sic A. — 1078 *stare inani;* Marullus *stare in inani* — 1104 *ferantur* — 1105 *penetralia*, sic et impressi et Ald.

Satis est haec attulisse ad demonstrandum, Marullum, ut iam antea diximus, non quaecunque ei ascribit Lachmannus, ex suo ingenio hausisse, sed iam in libris manuscriptis repperisse. Deinde autem apparet, hunc codicem et sua indole uti nec cum aliis quot extant, nec cum editione ulla vetere prorsus consentire.

Quae si recte consideramus, hoc statuendum videtur: codicem esse ex genere eorum quibus Itali utebantur; emendationes autem correctoris referendas esse ad

quendam doctum qui praeter alias editiones, ut Avantii Aldinam praecipue Giuntina editione Florentina, ut recentiore tunc temporis usus sit. Quid enim? Marulli exemplar quod cum eo interiisse rerum auctores confirmant servatum ad hunc diem credamus? Mire sane id factum esset atque incredibiliter!

Iam nunc, ut si quis Lucretii emendationi operam in posterum daturus est, hoc adiumento utatur, praecipuas Victoriani libri lectiones quaeque veri aliquid continent, non alienum attulisse visum est.

II. 85 *nam cita superne Confluxere ut uti.* — (Lege: *Cum confluxerunt, fit uti*) — 104 *de* adest, quod non exhibent Leydd. — 152 *quod sol diverberat undas* bene, nam *quasi* nihil dicit. — 210 *summo* — 249 *certa regione* — 252 *et vetere exoritur semper novus ordine certo* — 331 *unde* — 347 *distare* — 359 *assistens crebra revisit* — 363 *subitamque* Leydd. *solitam.* Sed hic subito cura orta est amisso fetu. 382 *multo penetralius ignis Quam noster fluat. fluat* etiam Leydd. — 401 *contorquent* — 428 *et quae* a corr. — 512 *in rebus, reddita certa* — 543 *non sit in orbe* — 1102 *in deserta.*

III. 55 *homines* — *sint* — 58 *eliciuntur et eripitur* — 135 *id est* — 145 *et sibi gaudet* — 257 *retinere valemus* — 453 *linguaque mensque* — 526 *vocem* 538 *diximus ante* — 566 *per.*

IV. 168 *nitidissima.*

V. 35 *Oceanum* (lege *Oceani*) *propter littus pelagique sonora* — 142 *in igni* — 195 *quodsi* — 393 *magnis inter se de rebus cernere certant.* Contra et Marullus et ceteri Itali turpi errore scripserant: *magnis de rebus inter se cernere certant.* Aldina exhibet: *in terra* — 586 *flammae* — 587 *est* — 901 Codex habebat: *Flamma quidem cum corpore* etc. Corrector supra *flamma* scr. *ardua.* Contra Marullus, quem hunc correctorem esse vult Sauppius, dedit: *flamma quidem vero.*

VI. De hoc sexto libro iam egimus in dissertatione nostra Halis edita a. MDCCCLXI.: sed cum hic plura afferre propositum esset, ne illa quidem repetere taeduit. 1 *frugiferos* — 67 *tota ratione* — 86 *diversis*, legendum videtur *divolsis*, cf. I, 202. III, 327. VI, 122. 203. — 91 *m. mine.* Forsan legendum est *momine*, quam vocem Lucretianam esse omnes sciunt. — 103 V. exhibet *lapides ac ligna*, quod alliteratione commendatur, Leydd. *tigna* tradunt. — 105 ubi *avi* Leydd. produnt, habet *aut* Vict. Quod quamvis dissentiente Lachmanno probandum videtur. — 112 *sonitus* omiserunt Leydenses; *fremitus*, quod est in Vict., ab alliteratione praeferendum videtur. 118 *corpore tractum*, lege cum corr. *corporis.* — 124 *concollecta* Leydd. *commota.* V. — 129 *scissa* V. cf. 138. 180. 297. — 178 *percalefacta vides adolescere.* cf. Verg. Ge. III. 379. *Panchaeis adolescunt ignibus arae.* — 182 *metantia*, unde conicio *motantia.* cf. Verg. Ecl. V, 5. — 209 *quippe enim* habent Leydd., unde *quin etiam* scr. Lachm. *Quippe etenim*, quod est in Victor., tuentur verba III, 798 sqq.: *quare —, quippe etenim —: quid enim —?* — In 220 recte

Monacensis noster tradit: *declarant ictus et inusta vaporis Signa*, nec opus est Lachmanni coni. sane haud eleganti qui scripsit *ictu loca inusta*, *vaporis Signa*. — 242 *monimenta virum*, quod etiam Victorianus exhibet, retinendum est: nam de hominibus insequente versu dicitur. — 347 V. *intendunt mobilitatem*, quod unice verum esse videtur. — 374 *propterea sunt haec anni movimenta notanda*. De forma *movimenta* cf. Bergk. Iahn. Annal. LXXXIII. p. 505 in nota; *notare* autem Lucretius pro *appellare* usurpavit, quod his verbis apparet VI, 121 *immortalia mortali sermone notantes*. — 393 *turpi sibi conscius in re* V. — In 421 *plurima plusque que plus*. Hic, ut saepe, duplicem scripturam servat Victorianus. Ceterum, hic locus nondum sanatus fortasse sic restituendus est: *Altaque cur plerumque petit loca? plurima namque Montibus in summis vestigia cernimus ignis*. — Victorianus sic interpunxerat: *Altaque cur plerumque petit loca plurima*, *plusque montib. i. s. v. c. i.?* — 440 *detrudit*. — 447 *procellit* V. Hanc lectionem iam in dissertatione recte se habere exposui. — 490 *tam magnis motibus*. — 505 *venti mare*. — 465 lege *coacta*, cf. 511 et 464. — 512 plenam lectionem V. servavit: *urget et a supero*. 527 *sursum* etiam *supra* significat, cf. Varr. R. R. I, 6, 3. Ter. Ad. IV, 2, 35. Cic. Nat. Deor. II, 56, 141.

In 747 nota scripturae Victoriani diversitatem a Leydensibus:

*locus est cum [as apud etruscos et montis]*.

762 Vict. *nepotis*. lege: *ne forte hic orci regionibus esse Credatur*.

854 V. *mundum contractans corpus aquai*. — 971 V. exhibet: *ambrosias quasi vero et nectar et intus*. Vide supicionem Bergkii in mea dissertat. p. 45, et in Iahnii Annal. LXXXIII. p. 505. — In 972 cum correctore Victor. videtur legendum: *quod amarum frondeat aeque*. Ipse codex haec praebet: *quod maius frondeat extet*.

976 V. *At ceni nobis (contra c.) teterrima cum sit*
*Spurcities*, *eadem subus haec et immunda videtur*.

Procul dubio, ut iam in dissertatione exposui, legendum est:

*subus haut immunda videtur*.

VI. 1031 verum servat Victorianus:

*pronas ad partes subtiliter insinuatur*.

1053 *pulsareque flictu*. cf. Pacuvianum *flictus navium*, allatum a Servio ad Verg. Aen. VIIII. 667. — 1201 *clades* habet Victorianus. — Denique versui 1245 suum locum vetus huius libri corrector assignavit post 1241

*incuria mactans*
*lanigeras tamquam pecudes et bucera secla*.

Quod pertinet ad versuum collocationem, memorabile videtur I, 14. 15, iam in textu suos locos tenere, quum Marullus, id est Editio Giuntina totum versum infulserit hunc: *Illecebrisque tuis omnis natura animantum*. Hinc quoque Marullum correctorem non fuisse apparet.

I, 44—49 qui in Leydensibus intacti manserunt, in V. linea transfixi sunt in margine ascripto verbo: *vacat*. Delevit etiam Marullus.

In I, 153 Victorianus hunc ordinem observat:

153 *quorum* —. 156 *quas ob res* — 157 *de nilo* — 158 *perspiciemus* — 154 *possunt* — 155 *et quo* —. Post 158. 155 additus est. In textu 155 deletur.

De I, v. 551 — 564 cum iam Bergkius dixerit in Iahnii Annalibus LXXXIII. p. 317 etc., hic plura exponere nolumus.

I, 734 — 785 quibus carebant Leydenses in fine operis addentes, V. iusto loco praebet. Idem in 806 contigit, ut suum locum teneat.

I, 873 et 874 a scriba deleti sunt et iure: nam et ipsa argumenti expositio v. 872 finitur et sententia utriusque versus non facit ad rem ipsam. Sic Marullus.

Post 905 in textu secuntur 994—996, sed ascriptum est *vacat* a scriba.

II, 42. 43 sic legit V.:

*subsidiis magnis epycuri constabilitas orituras*
*Armisita statua starilaesque animatas.*

Aldina haec tradit:

*subsidiis magnis Epicuri constabilitas*
*ornatas armis statuas stantesque animatas.*

In V. delevit hos versus Corrector; in Leydensibus rubro picti erant. In Aldina v. 44 *fervere cum videas classem lateque vagari* deest. Verum est, hos versus in archetypo communi in margine ascriptos fuisse, nec per versus distinctos: itaque cum a parte scribarum capitulum putarentur, rubro scripti sunt in nonnullis libris. Iam vero uno tenore scriptos fuisse apparet ex ipsa Victoriani scriptura, ubi *orituras* ad primum versum ascribitur.

De ipsa emendatione certi aliquid afferre valde difficile est. Quod in Aldina 43 deest iam vetustissimum esse vitium declarat. Displicet sane quod anaphora v. *fervere cum videas* a priore thesi duobus versibus disiungitur, displicet praeterea *subsidiis magnisque elephantis*. Lego *subsidiis magnis* *equitatus* *constabilitas, ornatas armise studio pugnaeque animatas.*

II. 648 ante 647 ponitur per signa *a* et *b*.

Post II, 680 *et tantum cupido dente* I, 861. II, 1169 in hoc codice prorsus deest.

III, 44. 45. 46 a correctore signis in suum ordinem (44. 46. 45) restituti sunt. Non sic Marullus, nam primus Bentleius hos versus transposuit.

Post III, 360

*sed per eos animum ut foribus spectare reclusis*

secuntur III, 403—411 incl., sed scriba duobus lineis inclusit hos versus ascripto *vacat*.

III, 392. 393 inverso ordine per sigla *a* et *b* corrector iure transposuit. Sic Giuntina.

In v. 474. 475 et 476 prorsus cum Leydd. facit Victorianus.

Post 672 sequitur per errorem 678, qui suo quoque loco adest.

Inde ab III, 805, ut in Leydensibus, secuntur in textu 806—818 = V. 351—363. In 363 apposita cruce additi sunt infra V, 364—373 incl.

IV, 25 idem factum est, ut III, 31 adderetur, quod in Iuntina non accidit. est.

Post IV, 43 secuntur 44 *id licet* etc., deinde III, 31—34 *Sed quoniam docui, cunctarum exordia rerum qualia sint et quam variis distantia formis.*

Hi quatuor versus a correctore sublati sunt. Quos huc Marullum infulsisse Lachmannus censet. Certe Victoriani corr. versus hic collocatos delevit.

A prima manu in IV, 42 sq. hic erat ordo: 42. 43. 44. III, 31—34. 29. 30. 31. 52. 53. 54. Corrector IV, 44—54 omnes versus eiecit et post 43 *mittier* . . . adiecit infra 51. 52. 53. et 44, prorsus ut in Giuntina repperit Lachmannus.

Sane Corrector ille codice non adiuvante versus tam mirifice disiectos in suum ordinem redigere non potuisset.

IV, 100 uncis inclusus et sane est supervacaneus.

v. 129 *sed ne forte putes ea demum sola vagari*

plane deest; eius loco rubrum capitulum interpositum est hoc:

*de nubibus et Simulachra gigni.*

Contra in Marulliana Iuntina et 128 qui in vetustioribus deerat, et 129 extant. Ordo sequentium versuum idem est qui in Leydensibus observatur.

Ad IV, 229 in marg. appictus est v. IV, 221. Ac sane aut cum Lachm. hic v. 229 eiciendus est, aut ille alter addendus.

250. 251. 252 per signa sic dispositi sunt: 251. 250. 252, quemadmodum etiam ap. Lachm. reperimus. Sic et Giuntina. Item 261 ante 260 positus est.

Ad 275 in textu appositus est v. 280. 323, 324, 325 infra ascripti sunt, additis 299—322. Deinde post 322 interponuntur per signum* 348—352, in textu 323—325 et ceteri suo ordine; ad 341. (341—352 linea transfixi sunt) 353—363. Tum infra per signum adduntur 342—347. Sequitur in textu 364. Est igitur plane is ordo quem Marullo Lachmannus ascripserat.

In 990—995 nihil ordo mutatus est. 990 lege *membra movere.* 991—996 incl. et in contextu et in margine lineis transfixi sunt. 1004 qui deest in contextu, in margine additur. Ordo hic est: 991 *at consueta domi* — 998 *discutere et corpus* — 999 *venantumque canes* — 991 *iactant crura tamen.*

Deinde 992. 993. 1004. 996. — 991 — 996 igitur bis in contextu adsunt. In Correctoris dispositione optime omnia conveniunt: sed quod a Marulli diversa est, denuo facit contra Sauppii opinionem.

1039 et 1040 in textu obelo deleti, sed infra iterum exarati sunt.

In V, 247 versus ita erant dispositi:

*Illud in his rebus — esse neque — Memmi —*. Restituitur a corr. is ordo quem etiam Lachm. codices exhibent. Hic igitur, si Marullus corrector fuit, eum ex codicibus correxisse apparet.

V, 571 et 572 post 573 et 574 = 570. Idem ordo in Giuntina cognoscitur.

Ad V, 594 infra exarati sunt 594. 595 et 584.

Ad 589 infra a Correctore adiecti sunt 594. 595. Eundem ordinem causa non addita sequitur Lachmannus.

V, 967 seq. recte Lambinum iam constituisse puto: hoc unum mutaverim, ut sic scribam:

*saetigeris parilesque subus silvestria membra.*

Neque enim eadem audacia utimur qua novissimus horum carminum interpres Bossartius, qui p. 254 interpretationis legit:

*saetigerisque pares* s u b u s *silvestria membra.*

Per signa VI, 875 ante 874 collocatur.

VI, 996. 997 desunt.

1245 suo loco deletus post 1241, et recte, positus est.

In margine sive infra additi sunt:

II, 492—494. III, 147. 152. — 363—373. — 821. 976. — Post III, 128: IV, 174. 175. — Post III, 203: 195. 568—376. — 595. 596. 747. 752. 976. — 1327 non repetitur ut in Leydd.

IV, 459. 460. — 730. 731—740. 741. — IV, 1124. — V. 595 cum 584. — V, 867. — 952—1053. 1054. — 1126. 1300. 1330. 1351. — VI, 211. 212. 427—433. 897. 1036. 1037. 1082.

De notis criticis quae in Victoriano reperiuntur, pauca addenda sunt. Vetustissimi temporis esse iudico (cf. Bergk, Krit. Stud. z. Ennius, 83, p. 320 Jahn's Jahrb.) glossam λαμπρά, quam ad III, 936. IV, 1066. et V, 225 (λαμπρόν) inveni.

Aliud signum criticum compositum est ex notis *phi* et *ro*, de quibus Isidorus: *haec apponuntur quotiens vel emendatio vel sensus versus sollicitius est inspiciendus.* Accedit X, quod cum illis coniungitur. Hoc signum extat ad II, 578—580. IV, 1072. V, 1119 —1125. VI, 33. 34.

C a p i t u l a Victoriani rubro scripta sunt singulisque partibus carminis praeposita. Quibus hoc tantum efficitur, non e libro impresso, sed manu scripto hunc codicem fluxisse. Desunt in p r i m o l i b r o capitula ad 44. 107. 150. 215. 269. 298. 305. 311. 334. 370. 419. 430. 551. 565. 635. 716. 1052. Unum quod hic liber exhibet,

ad 950, foede corruptum est: *topana pyrato gargepyras menonaeroe* l. *to pan apyron: to gar peperasmenon acron echi.*

In secundo libro desunt capitula ad 62. 89. 112. 142. 183. 589. Ipsa eorum verba non semper cum eis conveniunt quae Lachmannus ex Leydensibus affert: unde aliud archetypon quam illorum, hic subesse censendum est: velut ad 220 *de declinatione motus*, 866 *de sensibili* (l. *insensibili*) *sensibile gigni*. In 520, ubi Leydenses deficiunt, reperitur *in terra semina esse*, in 502, quod Leydensibus ignotum est *de pauone*.

In libro tertio deest capitulum v. 379. De 672 iam supra dictum est. Ad 1008, sed in margine, eadem manu eodemque rubro appictum est: *filię Danai*.

In libro quarto desunt capitula 1. 29. 513. 633. 673 (in margine corrector adiecit: *de olfactu*).

In libro quinto desideratur primum capitulum quod cum ceteris ad 281 corrector infra adiecit: unde eum codice manuscripto ad corrigendum usum esse denuo apparet. Desunt in textu capitula ad 200. 376. 397. Verba paullum differunt in 92, (*dicit* additur). — 780 *de novitate rerum mundi.* — 894 *de Scylla. phorti* (l. *phorci*). — 901 *de Chymera et triplici corpore eius.* — 1241 *quemadmodum metalla reperta sint.*

In libro sexto capitulum primum, sicut in omnibus, non exhibetur, cetera non desiderantur. Aliter concepta sunt haec: 285 *tonitru* — 526 *de yri* — 712 *de Nili inundatione* — 749 *cornices athenis ad edem minerve non accedere* — 756 *in syrio pedes planos esse*, forsan legendum: *in syria quadrupedes mortuos esse* — 840 *Cur aqua in puteis aestate frigida sit* — 848 *de fonte Hamonis* — 920 *fluere omnibus ab rebus.*

Capitula materiarum post 1090 et 1138 tractatarum exciderunt cum ipsis foliis codicis IV, de quibus supra diximus. Ex diversitate autem recensionis capitulorum apparet ea non antiqua sed medio aevo quod dicitur orta esse. Itaque conclusio quoque differt a Leydensibus:

*T. Lucretii Cari de natura*
*rerum liber VI. explicit*
*Laus deo.*

In fine commentationis de paucis locis sublimis nostri Lucretii sententiam liceat proferre.

I, 449 poeta demonstrat, omnia aut corpori inanique coniuncta, aut horum *eventa* esse habenda. Eventorum autem exempla adfert servitium paupertatem divitias libertatem bellum concordiam. Pergit dicere tempus per se non esse, sed sensum eorum quae aut praeterita aut futura sint, rebus ipsis effici. Itaque a rebus tempus seiungi non posse. Namque Epicurus *tempus* dicere solebat σύμπτωμα συμπτω-

*μάτων*, cf. Sext. E. Hyp. III, 137 adv. Math. X, 219. Troicum igitur bellum re vera quidem nunc non extat, quoniam illi homines iam pridem morte occubuerunt. Dicit itaque rem ita se habere, ut res gestae et per se extent, nulla temporum ratione habita, et certo quodam tempore fuerint cuius eventum dicantur. Unde non dubito scribendum esse:

*namque aliud per se est, aliut temporibus ipsis*
*eventum dici poterit, quodcunque erit actum.*

cf. Epic. ap. Diog. Laert. X, 54 *καὶ μὴν καὶ τὰς ἀτόμους νομιστέον μηδεμίαν ποιότητα τῶν φαινομένων προςφέρεσθαι πλὴν σχήματος καὶ βάρους καὶ μεγέθους, καὶ ὅσα ἐξ ἀνάγκης σχήματι συμφυῆ ἐστί. ποιότης γὰρ πᾶσα μεταβάλλει, αἱ δ' ἄτομοι μηδὲν μεταβάλλουσι.*

et ib. 68:

*ταῦτ' οὖν πάντα τὰ διαλογίσματα ἀνάγων τις ἐπὶ τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις, μνημονεύων τῶν ἐν ἀρχῇ ῥηθέντων ἱκανῶς κατόψεται τοῖς τύποις ἐμπεριειλημμένα εἰς τὸ κατὰ μέρος ἀπὸ τούτων ἐξακριβοῦσθαι βεβαίως. ἀλλὰ μὴν καὶ τὰ σχήματα καὶ τὰ χρώματα καὶ μεγέθη καὶ τὰ βάρεα καὶ ὅσ' ἄλλα κατηγορεῖται τοῦ σώματος, ὡςανεὶ συμβεβηκότα ἢ πᾶσιν ἢ τοῖς ὁρατοῖς καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν αὐτὴν γνωστοῖς, οὐδ' ὡς καθ' ἑαυτάς εἰσι φύσεις δοξαστέον.*

I, 600 libri manuscr. praebent

*tum porro quoniam est extremum quodque cacumen*
*corporis illius, quod nostri cernere sensus*
*iam nequeunt, id nimirum sine partibus extat.*

Hoc loco Lachmannus usus est ad inserendam Lucretii sermoni particulam *quia nam (quia nam — ullius, — nequeunt?).* Sed haec ratio vix probari potest reputanti quanto opere hic poeta sibi constet in verbis usurpandis. Atque huius particulae exemplum deest apud Lucretium. Itaque codicum scripturam retineo. Hic usus particulae *quoniam* aliis locis confirmatur, velut III, 548—562. 634—638. IV, 26 sqq. V, 235. Sed pronomen *ullus* sine negationis particula non usurpat Lucretius. Itaque suspicor scriptum fuisse:

*quoniam est extremum quodque cacumen*
*corporis cuiusvis, quod nostri cernere sensus*
*iam nequeunt, id nimirum sine partibus extat.*

Apocope enim litterae *s* in fine primi pedis non est sine exemplo, qua de re vide infra ad V, 947. cf. 749 *cum videamus id extremum cuiusque cacumen Esse, quod ad sensus nostros minimum esse videtur*, et de usu pron. *quivis* I, 556 *nam quidvis citius dissolui posse videmus.*

III, 198 nondum satis emendatum esse videtur. Ego legendum puto:

*at contra lapidum conlectum vis aquilonis*
*noenu potest.*

Id est ne vis quidem venti saevissimi lapidum acervum disicere potest. Nam *que* ex fine v. 197 ortum est, cf. Bernays. in praef. pag. 1. Sic etiam in III, 515 *infit ipsum* quod exhibet Victorianus, ortum est ex fine *hilum* praecedentis versus, et 566 *corpora* pro *viscera*, ex sequenti versu. — 617 *omnibus* ex praecedente *regionibus*, IV, 662 *lumie* ex praecedente *lumina*.

Versum eiusdem libri 298 sine iusta causa post 295 e suo loco remotum Lachmannus collocavit.

V, 35 Victorianus exhibet

*Oceanum* (lege *Oceani*) *propter littus pelagique sonora.*

Quod accipio, non autem *pelageque sonora.*

Etenim Lucretius hunc genetivum cum neutro adiectivi habet in deliciis, quo generalem magis longiusque patentem asciscit notionem tota dictio. Exempla sunt *serena, sublima, aperta promptaque caeli, caerula caeli, terrai abdita, munita viai, strata viarum, saxorum structa, cuncta viai, cava calamorum, clausa opaca saepta domorum, aliena rogorum, vitalia rerum.*

De verbo *clarigitandi*, quod in V, 947 Lachmannus effinxerat, iudicium tulit Ritschelius in Catal. lect. hib. Bonn. 1854. In hoc loco Victorianus legit: *clarior accitat* a prima manu. Legendum esse iudicat Ritschelius *largu' citat late.* Sed obstat primum quod Lucretius *ciere* et *cire* dixit, sed non *citare.* Deinde vero ab apocope litterae *s* de qua v. dissertat. nostram Hal. 1861, p. 18 in primo pede Lucretius abstinuit exceptis duobus locis I, 978 et II, 462, sed in his quoque *s* in fine primi pedis est, non in medio. Itaque alia emendatio quaerenda est, quam propono

*clara voce vocat sitientia saecla ferarum*

cf. IV, 711 *auroram clara consuetum voce vocare.*

IV, 158 Victorianus

*texturas rerum tenuis teneasque figuras.*

Ex quibus verbis conicio legendum esse

*tenerasque figuras*, nam repetitio vocis *tenuis* non est elegantis poetae.

VI, 362 *interutrasque.* De hac forma quam omnibus locis omnes codices confirmarunt vide dissert. nostram p. 28.

VI, 755 incerta coniectura nisus formam *ibus* Lachmannus usurpavit, qua in re praeterea displicet elisio vocis *vi* in correptam. Res melius procedit si legimus

*sed natura locorum opus efficit ipsa suapte.* cf. I, 153. VI, 90.

Lachmannus in Commentario ad I, 830. III, 234. VI, 749 cf. III, 290 *et* pro *etiam* dicit quotiens in Lucretii carminibus inveniatur, suspectum esse corruptelae. Motus autem videtur ad hanc sententiam eo potissimum quod apud Plautum neque frequentior sit hic usus nec unquam sine metri sententiaeve damno. Sed ut verum fateamur, vir alias acutissimus hanc rem nobis non persuasit. Nam multis in locis quamvis codicum scripturam mutaverit, ut sua opinio constaret, tamen nonnulli restant

in quibus *et* pro *etiam* accipiendum est. Sed quoniam operae pretium est, singula percenseamus.

I, 830 codices exhibent:

*Nunc et Anaxagorae scrutemus homoeomeriam*
*Quam Grai memorant nec nostra dicere lingua*
*Concedit nobis patrii sermonis egestas;*
*Sed tamen ipsam rem facilest exponere verbis.*

Nemo non videt si cum Lachmanno *nunc ut* scribatur, castissimo poetae anacoluthiam inculcari. Iure igitur novissimus editor *et* reposuit. Alius locus V, 531 certe emendationem minus respuit: *e quibus una tamen sit et haec quoque causa necessest. Si-et haec* dabat Lachmannus. Sed frustra: namque alio quoque loco, sicut *etiam quoque* (V, 153. 517. 604. III, 208. 292.) etiam *et quoque* dicit Lucretius I, 886

*consimili ratione herbas quoque saepe decebat*
*et laticis dulces guttas similique sapore*
*mittere lanigerae quali sunt ubere lactis.*

Plane autem deest mutandi causa in III, 234:

*nec calor est quisquam, cui non sit mixtus et aer*
*cui mixtus non siet aer* Lachm.

Bernaysius *et* servavit.

Porro legimus in III, 290

*est et frigida multa, comes formidinis, aura.*

Hic Bernaysius quoque Lachmannum secutus scripsit *ea.* Magis autem miror eundem in V, 610

*forsitan et rosea sol alte lampade lucens*

cum Lachmanno *e* scripsisse. Quis enim luceat *e lampade?*

Nec in VI, 749

*est et Athenaeis in moenibus, arcis in ipso*
*Vertice*

opus est emendatione.

